



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 12. Rupella a Regio milite cincta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII.
A. C. 1626.

§. XII.

Rupella a Regio milite cincta.

Lotich. rer. Germ. l. 16. cap. 4. Theatr. Europ. p. 963. Enimvero Subisus Calvinistarum Princeps nupera clade tantopere terrebatur, ut in Angliam cum paucis navibus adhuc superstitibus aufugiens, Carolum Regem crebris literis fatigaret, quatenus ipsam ceterosque motæ rebellionis socios vel valida classe juvaret, vel Regi Christianissimo conciliare peteretur: attamen hanc submissionem non ex mutato rebellandi animo, sed potius melioris fortunæ desperatione protractam fuisse, luculenter testabatur, ex eo, quod Subisus, quamprimum a Calvinistis Pisonam urbem interceptam, novumque exercitum a Rohano fratre suo contractum compererat, illico Rupellensibus animos addidit, pollicitus, se illis cum navibus Britannicis mox auxilio futurum: Hac spe freti Rupellenses, insuperhabito Regis edicto, violataque promissi fide Subisus partes toto studio tueri nitebantur: unde Ludovicus Rex justa indignatione commotus, Rupellam munimentis cæcisius stringere iussit, quo factum, ut cives gravibus incommodis pressi per legatos suos cum Rege transigere tentarent, irrito tamen successu, eoque

Hugo-

Hugonotæ demolitioni arcis Ludovicæ Sæc. XVII.
A. C. 1626.

pertinacius institissent: Magis prospero conatu Carolus Angliæ Rex, Batavique inter Franciæ Regem & Rupellenses convenere, pactis hisce conditionibus. I. Senatus ac Magistratus Rupellensis denuo ex civibus, prout anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo erat, constitueretur. II. Calvinistæ Rupellenses circa suæ sectæ libertatem illis concessionibus, quæ Fontisbellæque Mense Julio indultæ fuerunt, fruerentur, ea tamen lege, ut omnia ad eam normam ac statum, quo tum erant, reducerent, nec ampliora a Rege peterent. III. Catholicis liberum Religionis suæ usum intra urbem permitterent, eisque bona ablata præcipue Ecclesiastica juxta edictum anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo promulgatum redderent. IV. Tempore belli nullas naves intra urbem intruerent, sed Cadona arce, quam novissime extruxerant, solo æquata, cetero legibus Regni sese componerent, necnon pro adimplendis hisce conditionibus Regium Ministrum in urbem suam reciperent. V. Vicissim vero Rex polliceretur, quod, quamvis Ludovicæ arcem demoliri haud conveniret, ea tamen moderatione usus esset, ut Rupellenses commerciis, legibusque

Sæc. XVII. A. C. 1626. suis alias per Regnum sancitis uti, fructus
que, a Regio milite nullatenus prohiberentur, sed bonis suis tam in Italia
Rea, quam Olerone libere gauderent.
Verum Rupellenses a pacis consiliis oppido alienos esse mox patuit, dum
quadraginta octo illos Syndicos utque
præcipuos tumultuum incentores officio suo movere iussi, Consulem
domo sua raptatum eo adigere nitentur, ut Regis mandato obstitere.

§. XIII.

Inferior Anglici Regni Curia Catholicis summopere insensa.

Rapin. Hist. d' Angl. l. 19. pag. 410. Quantumvis Carolus I. Angliæ Regis ad utriusque Curia articulis quibus Catholicæ Religionis excidium & Catholicorum exterminium sollicitabant, anno priori fat benigne respicisset, nihilominus inferioris Curia Senatores Regi pecuniarum subsidiorum quorum spe in Catholicorum opprobrium consenserat, ad impendens bellum contra Cæsarem & Hispaniæ Regem erogare detrectabant, nisi prius eorum adversus Catholicos proposita exemptioni daret. Præterea novas Congregationes non modo pro sublevandis populi oneribus, sed etiam pro sectæ negotiis instituerunt. Nondum tamen